



1649 31

DISPUTATIO
OPTICO-PHYSICA
DE
VISIONIS MODO,

QVAM
ANNVENTE DOMINO,
Consensu Amplissimæ Facultatis Philos.
inclytæ Academiae patriæ,
sub præsidio

VIRI EXCELLENTISSIMI
CLARISSIMI

M. ALBERTI LINEMANNI,
Mathematicum P. P. celeberrimi,
præceptoris honorandi,
exhibet

In Auditorio majori Junij.

JACOBUS SAHMIUS,
Regiomontanus.

PRÆLIS REUSNERIANIS, ANNO 1649.

51

DISPUTATIO
OPTICO-PHYSICA
DE
VISIONIS MODO

QUAM
ANNUENTE DOMINO
Consensu Amplissimi Facultatis Philof
in vna Academiæ pætor
habita

VIRI EXCELLENTISSIMI
CLASSICISSIMI
M. ALBERTI LINEMANNI
Machmanni P. P. celeberrimi
preceptoris honoranda
cuncti

in vna Academiæ pætor
habita
JACOBUS SAHMILIUS
Regionarius

PARIS KELLNERIANIS ANNO 1649

21

Cum bono DEO.

§. 1.

Res Physicis vel leviter initiatis notum est, res sublunares alias nutriri, augeri & seminare tantum generare; alias præter hoc videre, audire, gustare, olfactu, tactu aliquid percipere, appetere; alias præter hæc duo ratiocinari, sive Unum ex alio colligere & de actionibus suis rectè instituendis ob certum finem consequendum deliberare, ut & contemplari; Sicque primas Animâ Vegetativâ tantum, plantas scilicet; Secundas, sensitivâ & vegetativâ, animalia nempe; postremas, superadditâ hisce rationali, nimirum hominem, esse præditas.

§. 2. Omissis hac vice primâ & ultima, Considerationem suscepturi Sumus sensitivâ, & quidem ejus partis quæ est facultas videndi, cum sit homini acceptissima, ad rerum cognitiones & scientias corruptibilium & incorruptibilium acquirendas utilissima, imò omnium sentiendi facultatum certissima.

§. 3. Sentit verò anima aliquid audiendo, Sonum; gustando, saporem &c. idque aliquo, in illo, aure; in hoc, linguâ, tanquam instrumento appropriato, utens: Sic dum videt, scilicet Colorem & lucem; instrumentum quo eadem percipit, requirit, quod est *Oculus*. Ejus igitur Fabrica admiratione maximè digna, & summi Architecti Sapientiam inexplicabilem indicans, cognoscenda venit, in quantum tamen nostro inservit scopo, reliqua dissectionum Professoribus linquentes.

A 2

§. 4. *Ocu.*

§. 4. *Oculus* gaudet suis Angulis, glandulis, musculis, tunicis, humoribus & nervis opticis.

§. 5. Tunicas (per has operimentum rei, sive sit crassum & compositum, sive tenue & simplex intelligentes) septem Oculum constituere, Humoresque tres, Sectiones Anatomicæ indicant, quarum prima omnes alias Tunicas includens colore alba dicitur *Adnata*, aliàs *Conjunctiva*; Sub hac est *Innominata* quæ *Tendinea* dici posset. Sequitur *Tunica Cornea*, sola Oculi orbem totum ambiens, cujus anterior pars saltem transparent, quatuor *Cortices* sibi invicem arctè impositos habet, quibus alium reliquis longè tenuiorem superincumbere *Epimerida* volunt. Hanc sub sequitur *Humor aqueus*, tenuis ac purus, paucus admodum: Cui subest *Tunica Uvea*, cujus Concava pars latens in homine est nigra; in bobus etiam cœrulea, subalba, viridis, convexa, qua corneam tangit, nigra; qua corneæ lucidæ parti subiicitur, est versicolor; mox nigrum, mox cœruleum, &c. colorem occupans: Unde etiam alius Oculus niger, alius cœruleus dicitur, Iris oculi dicta, in medio rotundum foramen linguens. Hanc tangit *Tunica aranea*, densa, dura, transparent, totum subsequenter *humorem Crystallinum* circum sepit, qui est translucens ac perspicuus substantiæ aqueæ gelu mediocriter obduratæ, sine sublata aranea sensim diffluit quasi gelu resoluta, centrum non idem cum totius Oculi, agnoscens, in anteriorem partem magis Vergens, non exactè rotundus nec lentis figuram exprimens, (quæ est depressa rotunditas) nisi in antica parte; in postica protuberans oblongi usculus est, in conum quasi assurgens, in omnibus tamen non idem, aliis enim globosior aliis latior est. Hujus pars foramen Uvæ transpiciens dicitur pupilla, in nonnullis nigra, in nonnullis mista ex nigro & casio

caesio colore apparet ob tunicas, eam ambientes, nigras, in homine semper exactè rotunda, in Bove ovalis, in fele oblonga. Sita sub hoc *Tunica Vitrea*, tenuis, translucens, *Humorem vitreum*, qui iridem transparens & clarus est, ambiens: Hic multus admodum ultra mediam Oculi sedem occupat, posterius rotundus, antèrius cavus, (cui cavo *CrySTALLINUS* insidet) quadruplo fermè superans *CrySTALLINUM*, magnitudine. Ultima *Reti formis* mollis, mucosa, opaca, venulis ac arteriis frequens, hincque, ob sanguinem in iis contentum, subrubra apparet. Dantur præterea *Nervi duo Optici* dicti, singuli singulo Oculo à Natura destinati, substantiæ mollis, in ortu crassiores præ omnibus nervis Cerebri, originem ducentes ex principio tenuis spinalis medullæ supra ossis sphaenoidis sellam unti rursus separantur, progressique ad oculos craneo excidunt perforamen, quod in oculi cavo conspicitur, oculisque ipsis juncti, substantia exteriori, quæ à dura matre, *Tunicam corneam*; membrana tenuiori, quæ à pia matre *Uveam*; Substantia medullari, quæ ab ipso cerebro, *Reti formem* constituunt; inserti non oculorum centro, sed dextro ad sinistram, sinistro ad dextram, uterque eorum porum quendam sive foramen, prout diligenti dissectori patet, possidet.

§. 5. Hoc itaque instrumento Natura utitur, cum nil agat frustra, ad certum *Obiectum* percipiendum, quod hic duplex invenimus, per se & per accidens, & illud quidem vel esse *proprium*, quod tantum Visum & non auditum vel alium sensum afficit, nihilque aliud esse quam in genere, *Visibile*; in specie, *Colorem & Lucem*: vel esse *Commune*, quod pluribus quam uno sensu, Tactu scilicet & Visu simul, vel auditu & Visu &c. percipitur, quod aliis numerus vigesimarius constituit, scilicet magnitudo, figura,

Corporeitas, Pulchritudo, deformitas, levitas, asperitas, Consimilitudo, diversitas, distantia, Situs, Continuitas, Separatio, Numerus, motus, quies, transparentia, densitas, Umbra, obscuritas; aliis novenarius, nimirum: Quantitas, Figura, Locus, Situs, Distantia, Continuitas, Discretio, Motus, Quies. Nobis verò cum aliis quinaris: Magnitudo, Figura, Numerus, Motus, Quies; reliquaenim ad hæc reduci possunt. *Objectum per accidens* sunt rerum Substantiæ quæ non visum, nisi ob conjunctum colorem, ob quod & nomen sortitæ, movent. Hinc etiam minus rectè sentiunt, qui has ad Visibilia per se referunt, Communia verò visibilia enumerata per accidens videri, asserunt.

§. 6. Hæc verò visibilia per accidens, Objectum ipsius intellectus cum sint, communia verò Visus quidem, atamen mediantibus propriis, quæ sunt Lux & Color, illis missis, hæc ex parte considerabimus.

§. 7. *Lux* nonnullis est substantia vel Forma substantialis, aliis videtur esse Accidens, & quidem qualitas corpori luminoso inhærens, quæ per se immediatè, sine alterius rei additamento, Visum movet, quæque corporibus incorruptibilibus, ut cælestibus; & corruptibilibus, sublunaribus inexistit, ut igni, ligno putrido, squamis nonnullorum piscium, gemmis &c. quæque secundum se, id est, quatenus potentiam videndi excitat, non specie sed saltem gradu differt, in illis tamen sine omni colore, licet Sol aureus, Luna pallida appareat; cum causa non in luce sed partim in his corporibus lucidis, partim in vaporibus, inter illa & visum nostrum positis, resideat.

§. 8. Lux hæc producit in Aere, quasi in momento temporis, aliam quandam Qualitatem, realem, Visum moventem, circumquaque sese diffundentem in modum sphæ-

sphæræ, demum elanguescentem, ad corpus opacum allisa sese reflectentem, diciturque *Lumen*, quod aliis est Actus Diaphani quatenus est Diaphanum, rationem visibilis magis quam ejus naturam indigentibus: aliis id in quo fit Umbra ex corpore grosso, planè Naturam ejus destruentibus; aliis Corpus, defluxus nempe atomorum Igneorum à corpore luminoso.

§. 9. *Color* tanquam alterum *visibile proprium* à diversis diversè tractatur, qui est *alius verus* & materialis, realis, corporibus connaturalis omni tempore iisdem inexistens, quem quidam dixerunt; Omnis ejus motivum esse, quod est perspicuum actu. Sic esse extremitatem perspicui in corpore terminato, potius per hoc materialem definitionem & quatenus visibilis est Color, per illud proprium omni colori competens, quam naturam ejus indigentes: quidam ex primarum qualitatum commixtione genitum, ut quivis Color quamlibet qualitatem sibi vendicat, ut albedo & calidissima, & frigidissima & siccissima & humidissima; hinc aliorum similior nobis arridescentia, quæ præter qualitates illas, caliditatem, frigiditatem, siccitatem, humiditatem, alias adhuc qualitates rebus inesse dicit, scilicet *Transparentiam & Opacitatem*, ex quarum permixtione Colorem oriri vult. Hinc Color juxta illos ex lucis, Diaphani, & Opaci mutua refractione, reflectione & Commixtione oritur; Et est: certa perspicui, lucidi & Opaci proportio, corpori insita, sua specie pingens ærem ad Visionem faciendam: Vel proportio Diaphani & Opaci prout ad generationem umbræ faciunt intermixta luce; Ex qua proportionem vel habitudine varia oriri Coloris differentias, ut, si plus Diaphani & Lucis cum Opaco in materia quadam misceatur, Albedinem; si verò Opacum superet ipsum

sum

¶ sum Diaphanum & Lucem, Nigredinem existere, tan-
quam extremos colores & primos vel Simplicissimos, cum
plus lucis supra illam; supra hanc verò minus nullus Co-
lor contineat, Ex quorum compositione mediis Colores
ortum suum assumunt: ut sunt; Aureus, puniceus, pur-
pureus, flavus, viridis, cæruleus &c. *Alius apparens*, qui
duplici modo se habet; quidam ut viridia arboris folia
virore suo parietem vel aliud opacum imbuunt; quidam
ut sub ortum & occasum Solis, Nubium, Iridis, Halonum,
Pareliorum &c. item ut maris, nunc viridis, nunc flavus,
purpureus, niger obvarium aspectum (quamvis maris
congenitus verus sit Subviridis) item in Vitris angulatis,
Columbarum & Pavonum collis, sic cæruleus cœli color:
estque nihil aliud quam prout verus insiti, sic hic extem-
poranei externi Luminis cum Diaphano & Opaco Com-
mixio, nulli proprio subjecto inhaerens; per Luminis re-
fractionem & reflectionem ad oculum oriens.

§. 10. Dictum præcedenti paragrapho de duplici
colore apparente, quorum ultimum consideravimus, pri-
orem verò etiam delineare tentabimus. Gaudet verò
proprio nomine diciturque; *species visibilis*, Forma intentio-
nalis, spiritatis & est Similitudo Objecti visibilis quam
imprimit potentia visiva. Objecta enim visibilia revera
species hasce mittunt, per quas ab ipsa anima cognoscun-
tur, quod Experientia abundè testatur, dum vitra Colore
tincta accedentibus radiis solaribus oppositum opacum;
vel mensam vel terram eodem imbuunt, quod & *Camera
Obscura* testatur. Sicque minus rectè has species, Lumi-
nis reverberationem vel relationem præsentia, ad ipsum
Objectum, in certa proportione ad facultatem esse, di-
cunt. Videntur verò esse qualitates, immediate ab Obje-
cto visibili productæ, concurrentes ad visionem cum fa-
cul.

tultate visiva tanquam concausæ, q. in momento, ad quamlibet Diaphani partem emissæ, in progressu paulatim deficientes.

§. 11. Distinctionem colorum hic attuli ut communem ac vulgarem licet sine ea totum negotium absolvi potest siquidem omnis Color nihil aliud est quam mixtio lucis & umbræ.

§. 12. Quia verò Objectum hæcenus consideratum sæpè maximè ab organo Visus distet, interjectum igitur aliquid erit, per quod debiles illas luculas à se emittat ad oculum, hoc dicitur medium Visionis item Diaphanum, Transparens, Perspicuum, Translucidum, quod juxta quosdam adumbratur, quod sit aspectabile, non autem per se aspectabile sed propter externum Colorem, & duplex est: Vel quod omni ex parte transparet ut sunt Æther Aer, Aqua, CrySTALLUM, Vitrum, Glacies, & verè perspicui Nomen sortitur. Inter quæ tamen æther & Aer, nobilissima ad videndum media sunt, cum reliqua ex parte videantur non item æther & aer. Alii sic: quod lumini est pervium, quæ Descriptiones Perspicui videndi saltem negotio subservientes dici possunt, cū naturā ipsius transluciditatis non exprimant; quam alii magis, alii minus accurate significasse videntur. Nonnulli enim dicunt Corporum perspicuitatem consistere in partium raritate, addita spiritali subtilitate; nonnulli in partium Unitate fluore aliquo constitutarum; nonnulli in materiæ puritate. Verum cum aliis videtur nobis, pelluciditas oriri in quibusdam ex partium raritate; in nonnullis expuritate. Illud verò medium dici solet vel rarius ut aër; vel densius, ut Aqua &c. Ubi ex hoc in illud evadentes species à perpendiculari; ex illò verò in hoc ad perpendicularem infringuntur. Vel quod secundum partes externas visibile est, & dicitur perspicuum terminatum, aliàs Opacum dictum,

B

Etum: dicitur etiam Corpus, quod Lumini & speciebus est impervium; Vel, quod non aptum est radios transmittere. Hoc nonnulli in materiae impuritate; nobis cum aliis in colorum multa quantitate vel qualitate; vel in multarum superficierum infractione; vel in magna densitate &c. Commune enim nomen Univocum, prout ipsum pellucidum respuit.

§. 13. Restat considerare præmissis iis quæ ad eum faciunt, *Visionis modum* sive qua ratione Visio peragatur: Ubi virorum annis & Experientia gravium discrepantes se offerunt sententiæ; præcipuas hic recensemus. Nonnulli opinati sunt eandem fieri per Spiritus; nonnulli per facultatis dignoscendi, ad objecta visibilia ex oculis, translationem; nonnulli per luminis emissionem ad Objectum, ejusque reflexionem ad Oculum; quidam per verberati aeris pupillam contingentis appulsionem ad Objectum; alii per simulachorum quorundam, continua successione à corporibus eorumque accidentibus effluxorum ad oculos appulsionem; quidam per receptionem quidem speciei, sed in oculi superficie; alii per luminis oculis connati emissi cum externo lumine tanquam cognato, concursum & commixtionem; alii per qualitatem quandam cum externo lumine per Circumfusum aerem, à rebus ad Visum nostrum pervenientem; alii per radios visuales, tanquam per manus, aut capillos animam se propagare, ac sensibilia tangere dicunt; alii non propagari per radios animam, sed eos quasi virgas ad objecta extendere, eosque inde ad animam reflecti & objecta renunciare; alii lumen ab Objecto figuratum ad oculos pervenire: Nobis hæc ultima sententia utpote, quæ species rerum in oculo intus suscipi affirmat, arridet.

§. 14. Oculi ut ex §. 5. constat plures sunt partes in qua

qua igitur *Receptio hæc specierum* fiat perpendendum. Ubi iterum Authores in diversum abeunt. Vitellio Opticorum princeps lib. 3. eas Humori Crystallino imprimi asserit; ita tamen, ut perfecta rei visibilis species, concursum Nervorum Opticorum intret. Cornelius Gemma cono Visionem fieri dicit, ita ut Basis in Objecto Visibili, vertex ejus in centro Crystallini sit: præter hunc Conum alium fingit cujus Vertex in Centro Crystallini, Basis vero intro porrecta; Illum lucis esse eoque species influere, hunc facultatis visivæ eoq; species recipi. Franciscus Aquilonius opinatur quod non Coni, sed Pyramidis Vertex in Humore Crystallino sit situs, sicque hunc rerum imagines terminare; quibus Aristoteles, Galenus, Hyppocrates calculum suum addunt: scilicet species in Crystallino recipi eidemque imprimi, & sic ibi Visionem fieri. Nos verò cum Cl. Dn. Keplero paralip. in Vitellion. cap. 5. dicimus, *Visionem fieri per picturam rei Visibilis ad album, subrufum & Cavum retinae sive retiformis parietem.* Ob cujus rei meliorem intelligentiam Experimentum periucundum ex Johann. Bapt. Portæ lib. 17. cap. 6. Mag. Nat. desumptum, adducimus. Sunt verò Dn. Kepleri verba cap. 2. hæc: Claudantur omnes rimæ camerae adeò ut ne minima lucula possit ingredi, è regione verò fenestræ, quæ prospectum habet ad res repræsentandas sit paries albus, cæteri nigri. Aperiatur foramen in fenestra angustissimum quantum Visus fortitudini sufficit, sic tamen ut si paries vel fenestra crassior fuerit, partes foramen circumstantes opacæ rescindantur, quoad tibi prospectus per foramen pateat, ad omnes res foris collocatas, quas cupis repræsentare. Sintque spectatoris oculi per horæ quadrantem vel semis cohibitæ ab aspectu lucis diurnæ, quoad evanuerint species in clara diei luce spiritibus impressa. Et sint res

representandæ collocatæ in clara luce vel solis vel diei vel
vapularum. Dico omnia quæ foris & consistere & geri
visuntur, intus in opposito albo pariete representatam
iri, solum everso situ — moderatum tamen foramen o-
portet esse — Colores malignè ad parietem nimis distan-
tem perveniunt, longe evidentius papyrum albam feri-
unt & colorant à propinquo foramine — Conducit & fo-
ris vallum quoddam quasi frontem apponere foramini ne
cælum vel æer regionem parietis sibi objecti nimia clari-
tate imbuat, sicque imbecilla juxta fortia posita delite-
scant, aut æer intus nimis clarescat & colores in pariete di-
luat. Omnium Clarissima erit pictura si Sol res repræ-
sentandas illustraverit, directè Horizonti vicinus. Subjun-
git Porta: si libet vivaciores illustrioresque rerum expres-
siones conspici, illis adhuc iisdem conditionibus serva-
tis Crystallum circulare, quod in medio paulo sit crassius
quam in ambitu, ut sunt vulgares Dioptræ quæ ad res au-
gendas conficiuntur, qualia sunt etiam vitra illa, quibus
ignis excitari solet radiorum solarium transmissione, fora-
mine facto inde; tum papyrum candidam oppone radio
luminis in Conclave immitti & sic res ob infractionem,
qua species versus medium coguntur, vegetiores reddun-
tur. Quæ omnia demonstrata vide hoc cap. 2. Ad hunc
fermè modum fit & Visio: Pupilla enim est hic fenestræ
foramen: foramini inditum Crystallum Humor Crystal-
linus. Hinc verò cum non terminet species, transmittit
eas (refractione tamen antea pluries peracta) ad parietem
vel chartam oppositam, quæ hic tunica retiformis, in qua
species trajectæ per prædictos humores se sistunt. Præte-
rea circumposita etiam sunt nigra omnia, ut Tunica Ulvea,
hancque cum Tunica aranea & vitrea ut & retiformi con-
nectentes processus ciliares, quo pictura cum cujusque
Obje

Objecti Coloribus sit maxime perspicua. Si enim alba essent à retina alba radiante lumen reciperent, sicque Colores in eadem oblitterarentur. Sub alba est retina ut pictura ejus eluceat, sub albus enim Color plurimum habet lucis communicatæ. Adhæc in Camera prædicta species ferientes ipsum parietem per Chartam reflectebantur ad ipsum oculum; Sic hic species Visibiles oculam ingressæ sistuntur quidem in retina, at spiritus per ejusdem foramen ex nervo optico emanantes, easdem recipiunt; hisq; im pressæ ad sensum communem per nervos Opticos deferunt.

§. 15. Hic sensus communis sedem suam obtinet versus Cerebrum: hinc, quamvis ob intersectionem juxta pupillam, omnes res foris repræsentatæ inverso modo in retina appareant, scilicet supera ad inferum, infera ad superum, dextra ad Sinistrum, sinistra ad dextrum latus retinæ depingantur; tamen Objecta non apparent nobis inversa, facultas enim sentiens eadem non ex obverso, sed quasi desuper picturatam retiformem, inspiciens eodem fermè modo, quo aliquis in Camera prædicta retro Chartam stans & desuper in eam despiciens in vera, quam extra oculum habent, statura apprehenditur.

B 3

Pro-

Problemata.

I.

Cnr Oculis nonnullis scintille oberrant?

HOc nonnulli lumini insito ipsis Oculis adscribunt; at hic Experientia ipsa reclamatur ipsis nullum inesse: alii ad celerem eorundem agitationem, ita ut Oculus locum suum naturalem relinquens speciem suam in aere videat: Hoc verò saltem oculo percussio competit. Quidam enim mentis à Compressione factæ, ita ut ab hac quasi divisus Oculus, ejus pars inferior cernat lumen (licet tenuissimum, quo nunquam destituitur aer) inhaerens ipsi parti eminentiori: Verum & hoc compressus & non clausus Oculus tantum admittit. Testatur verò Experientia Oculis in maxime quiete Constitutis hoc evenire. Putemus igitur cum aliis, id Spiritibus animalibus esse adscribendum, quos flammigantes esse Schola Medicorum non negat, & sic illi, qui cerebro calidiori sunt præditi, lucidiores tenuioresque Spiritus cum habeant, illas scintillationes eò crebrius præ aliis animadvertunt. Ita
“ ut hi Spiritus dissilientes motu tunicas & humores oculi percussi tenuiter saltem illustrent; in
“ compresso verò Oculo hi Spiritus angustiore spatio coarctati ex collisione ignescant, dicente Clariss. Fromondo. Hoc verò & nimia tussi, Vomitu

tu

tu, laborantibus obtingere videmus ob eandem causam; in his enim spiritus magna vi sursum in oculos protrusi, attenuati & inflammati huiusmodi luminis Phantasiam oculis ostentat. Idem etiam Vino calidiori, ut Hungarico vel Hispanico gravibus, evenire novimus; in quibus tamen, præter prædictos Spiritus Vapores ignei his spiritibus immixti, dantur. Ultimo notandum has flammulas tenebris existentibus maximam partem oculos persentiscere, prout enim lumen diurnum Solis Visui præcipit lumen ipsarum stellarum; sic idem Spirituum splendorem exiguum ac tenuem extinguit ac tollit.

Prob. II.

Cur Muscæ, culices, Nubeculae & similia nonnullis ob oculos volitant?

Opinamur cum Clariss. Galeno, huiusmodi Phantasmatum, figurarum, Cimicum, Capillorum, linearum globulis nigricantibus annexarum, & id genus aliorum representantium causam, in vaporibus aqueo humori inerrantibus, sive in disjunctis crassis Corpusculis esse, generatis ex crapula, humore melancholico, repletione Capitis. Intrant verò hi vapores Oculos per Venas & arterias, & ipsos Nervos Opticos, qui præter Spiritus animales, vapores simul referunt.
Sunt

*S*unt qui Contrarium afferunt, dicentes Vapores hos non in humore aqueo, sed in anteriore parte Cerebri, quam Nervorum Opticorum originem esse putant, existere, ibi cum Spiritibus animalibus confundi. Verum in præcedentibus dictum est Visionem in ipsa retiformi tunica fieri, ita ut species per foramen Uvæ in Oculum illapsas eadem suscipiat; sicque ante Retiformem existere debent, non verò post eandem in cerebro.

Hæc Exercitii gratia sufficiant.

Ad Ornatisimum Dn. Respondentem Amicum dilectum.

Gloria magna tuis studiis permanserit olim
Auguror, O SAHMI, si modo pergis jens,
Perbenè Latinus Gracis commercia misces,
Non minùs exactè tuque Mathema notas.
De VISV nunc verba facis, prout Optica promit;
Et placet omne tibi, quod docet artis opus.
Non placet incertis agit arier undiq; ventis
Mentium: Amœna magis certa Matheſis habes.
Pergito: certa notes: incerta linquita Musis,
Queis placet in-cassum vana sonare mele.
Sic etenim surgent certò, mihi credito SAHMI,
Gloria magna tuis, digna brabèa tibi.

M. Albertus Lünemannus,
Mathem. Profess. Publ.

Königsberg. Diss., 1610/70

ULB Halle 3
004 398 270




f
Sb.

VD 17







1649 31

TIO
YSICA
MODO,

DMINO,
acultatis Philos.
patriæ,

TISSIMI
NEMANNI,
eleberrimi,
andi,

Junij.
MIUS,
s.

ANNO 1649.

